

IACOBI  
CUIACII  
CELEBERRIMI  
I.C.

RECITATIONES IN TITVLVM DIGESTO-  
RVM DE ACQVIRENDA VEL AMITTENDA POSSES-  
sione, nunc primùm appendicis vice eiusdem D. Cuiacij  
Recitationibus in 2. & 4. libros Decretalium  
ideo adiunctæ, quia in illis ad has sæpè  
fit remissio.



12  
14731

SPIRÆ NEMETVM  
Apud Bernardum Albiacum 1595.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM

NOBILIBVS ET CLARISSIMIS VIRIS  
D. ARNOLDO CRAN, ET D. THEODORO  
APIANO, IURISCONSULTIS PRAESTANTISSIMIS,  
Iudicij Imperialis Camerae Adfessoribus, domi-  
nis suis plurimum colendis, S.



*VM Domini Cuiacij Iuriconsulti lon-  
gè celeberrimi scripta, non tantum quae  
ipse viuus in lucem edidit, sed etiam  
quas publicè auditoribus suis dictauit  
praelectiones à Legum Candidatis desi-  
derari viderem, caepi dudum à quibus-  
dam, qui ipsum docentem audiuerunt  
magno sumptu conquirere, & ab iis-  
dem reuisa praelo meo subiicere dictata*

*illa, ex quorum lectione quin inuentus litterata magnum studio-  
rum suorum fructum latura sit non dubito. Et si autem idem ab  
aliis quoq; tentari videam, non quidem absq; graui rei meae fami-  
liaris iactura & damno, tamen vt iis fortunam suam & lucel-  
lum, quod aucupantur, non inuideo, nec conatus ipsorum impedio,  
ita optarim ab ipsis ad id negotium adhiberi non tales, qui pedem  
ex Germania fermè nunquam extulerunt, nedum vt Cuiacium  
ipsum viderint, aut publicè docentem audiuerint, quos non tan-  
tum in vocabulis, quae ipse inter legendum euidentioris significati-  
onis gratia saepe non infeliciter intermiscuit Gallica, verum & in  
ipso dictatorum contextu non raro hallucinari necesse est, dum sty-  
li, quo in legendo Cuiacius faciliiori & longè diuerso ab eo, qui in  
publicis illius scriptis deprehenditur, vsus est, fortè & lingua Gal-  
lica*





# IAC. C VIACII I. C.

Recitationes

## AD TIT. PANDECTARVM DE ADQVIRENDA VEL AMIT- TENDA POSSESSIONE.

*Ad rubricam & principium L. I.*



**Q**UICQUID adquirimus vel domi-  
nium est, vel vsus, vel vsusfructus, vel  
ius prædij, vel obligatio, vel possessio.  
Dominium est proprietas rei, l. si pro-  
curator. §. tit. prox. & apud Isidorum,  
proprius est dominij, proprius loci. Et  
proprietas rei quidem aliàs est plena  
& solida potestas in ea re: aliàs nuda po-  
testas, si eius rei vsusfructus alienus  
sit, Instit. de vsufr. §. ult. Vsus est ius  
vtendi re, aliena scilicet. ius hominis

sue personæ, non ius rei: sicut vsusfructus quoque ius est homi-  
nis, non rei, id est, ius vtendi fruendi re aliena pinguius pleniusq;  
quàm sit nudus vsus. Vtroque iure fit vt res aliena seruiat homini,  
puta mihi vel tibi, non meæ vel tuæ rei, quia ius hominis est, ius  
personæ, non reale. Sub his verdè nominibus vsus & vsusfructus  
velim etiam intelligi omnia iura quæ vsum vel vsumfructum imi-  
tantur in quibusdam, veluti habitationem, redditû, operas serui,  
vel cuius alterius animalis, quamuis ab vsu & vsufructu differant  
in plerisque causis: quod hoc loco exponere nihil attinet. Ius  
autem prædij, quod dixi in titid, multa continet. Nam & seruitus  
prædij rustici vel vr bani ius est prædij, quo fit vt prædium meum  
prædio vicini seruiat aut dominetur. ius igitur rei, non hominis,

A